

PROPHETIA OSEE.

OSEE in lingua Latina, inquit Hieronymus, Salvatorem sonat. Ab eadem radice hebraica deducitur etiam nomen Iosue (qui & ipse ante Osée vocabatur Num. 13. 17.) seu Iesus, id est Salvator, & nomen Isaiæ, de quo supra. Igitur non solis oraculis, gestis, ac vita sanctitate, sed & nomine suo Osée, prophetarum fere primus Christum præfiguratur.

Torus autem commaticus est, & per sententias loquens, ait Hieronymus. Agit enim personam Dei synagogam in adulterio deprehensam obiurgantis, punientis, repudiantis, aliisque subducentis. Unde minus mirum videri debet, si in figura Domini Salvatoris nostri, Ecclesiam de peccatoribus congregantis, uxorem meretricem iubeatur accipere: Nec enim culpandus Propheta, ait Hieronymus, commentar. cap. 1. si meretricem converterit ad pudicitiam, sed laudandus potius, quod ex mala bonam fecerit... præsertim cum non ob causam luxuriæ, non libidinis, non propriam fecerit voluntate: sed Dei paruerit imperio: ut quod in isto carnaliter legimus, in Deo factum spiritualiter probaremus. PRIMò itaque Synagoga excidium representat, & Ecclesia vocationem. SECUNDò idolatriam aliisque Israëlitarum scelera acriter insectatur. TERTIò penitentibus clementiam promittit & gloriam.

Regnante Ieroboamo secundo, qui regnum auspicatus est anno M. 3179. ante æram Christi 825. sub quo regnum Israël maximè floruit, ruinam eius prædixit, quam ut videret, ministerium eius ad Ezechia tempora productum effecit; cuius anno 6. hoc est M. 3283. ante æram Christi 721. regnum illud finem sortitum est: ut integrum circiter sæculum Osée munus suum continuaverit.

CAPUT PRIMUM.

Quo tempore Osée prophetaverit, qui iussus fornicariam accipere uxorem, duos filios, unamque filiam ex ea generavit: quibus nomina iubetur imponere iuxta effectus quos Dominus in populo suo decreverat inducere: de Gentium conversione, & futuro eodem capite filiorum Iuda & Israël.

Verbum Domini, quod factum est ad Osée filium Beeri, in diebus Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israël.

2. Principium loquendi Domino in Osée: & dixit Dominus ad Osée: Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.

3. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

4. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israël.

5. Et in illa die conteram arcum Israël in valle Iezrahel.

6. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius Absque misericordia: quia non addam ultra misereri do-

mui Israël, sed oblivione obliviscar eorum.

7. Et domui Iuda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

8. Et ablactavit eam, quæ erat Absque misericordia. Et concepit, & peperit filium.

9. Et dixit: Voca nomen eius: Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester.

10. Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. * Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos: dicitur eis: Filii Dei viventis. * Rom. 9. 26.

11. Et congregabuntur filii Iuda, & filii Israël pariter: & ponent sibimet caput unum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.

CAPUT III.

Minatur Dominus Israël tanquam uxori adulteræ repudium, & sepit vias eius spinis, ut ad virum suum revertatur: cumque non advertat à quo habeat bonorum abundantiam, ablatum se ab ea dicit cuncta in quibus delectatur: sicque ipsum tandem ad se reducturum, magnæque felicitate donaturum: & de Gentium vocatione.

1. **D**icite fratribus vestris: Populus meus: & sorori vestræ, Misericordiam consecuta.

2. Iu-

Cap. 2. Synagogam ad penitentiam vocat. Fornicationes eius recenset.

OSEAS.

Cap. 2. Ultima eiusdem conversio. Cap. 3. Dei erga peccatores amor.

2. Iudicate matrem vestram, iudicate: quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir eius. auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum.

3. Ne fortè expoliam eam nudam, & statuam eam secundum diem nativitatis suæ: & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inviam, & interficiam eam siti.

4. Et filiorum illius non miserebor: quoniam filii fornicationum sunt.

5. quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos: quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.

6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam macerâ, & semitas suas non inveniet.

7. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inveniet, & dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

8. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

9. Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.

10. Et nunc revelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius: & vir non eruet eam de manu mea:

11. & cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa tempora eius.

12. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit: Mercedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri.

13. Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur in aure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei oblivisceretur, dicit Dominus.

14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius.

15. Et dabo ei vittores eius ex eodem loco, & Vallem Achor * ad aperiendam spem: & canet ibi iuxta dies iuventutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de Terra Ægypti.

Hieron.

16. Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me: Vir meus: & non vocabit me ultra, Baali.

17. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur ultra nominis eorum.

18. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum réptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter.

19. Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.

20. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus.

21. Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram.

22. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel.

23. Et seminabo eam mihi in terra, & miserebor eius, quæ fuit Absque misericordia.

24. * Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipse dicit: Deus meus es tu. * Rom. 9. 25. 1. Petr. 2. 10.

CAPUT III.

Rursum iubetur Propheta diligere adulteram, quæ tamen multis diebus illum expectet, quia filios Israël multis diebus sine rege & sacrificio sedentes, tandem ad Dominum dicit reversuros.

1. **E**T dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige * mulierem dilectam amico & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia uvarum.

2. Et fodi tibi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.

3. Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te.

4. quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.

5. * & post hæc revertentur filii Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum eius in novissimo dierum.

CA- Quando verò dicit fodi, ostendit vineam, quæ plantata est, & in multis locis scripturæ ponitur, significans populum Iudæorum, Hieron. * Ezech. 34. 23.

* Ergo, quod propheta diligit adulteram, & tamen non ei matrimonio copulatur, nec fornicatione coniungitur, sed tantum diligit delinquentem: typus Dei est, qui filios Israël pessimos diligit. Hier. † Septuag. Conduxit eam, à Domino significans

CAPUT IV.

Minatur terra Israël, propter multa po-
puli peccata, qui & scientiam repulit,
& idololatria fuit deditus: dicit se ve-
llicurum Israël in peccatis suis, cupiens
ne Iuda ipsum imiteretur.

1. **A**udite verbum Domini filii Israël,
quia iudicium Domino cum ha-
bitatoribus terræ: non est enim veritas, &
non est misericordia, & non est scientia
Dei in terra.

2. Maledictum, & mendacium, & ho-
micidium, & furtum, & adulterium inun-
daverunt, & sanguis sanguinem tetigit.
3. Propter hoc lugebit terra, & infirma-
bitur omnis, qui habitat in ea, in bestia
agri, & in volucre cæli: sed & pisces ma-
ris congregabuntur.

4. Verumtamen unusquisque non iudi-
cet: & non arguatur vir: populus enim
tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.

5. Et corruet hodie, & corruet etiam
propheta tecum: nocte tacere feci matrem
tuam.

6. Conticuit populus meus, eò quòd
non habuerit scientiam: quia tu scientiam
repulisti, repellam te, ne sacerdotio fun-
garis mihi: & oblita es legis Dei tui, obli-
viscar filiorum tuorum & ego.

7. Secundum multitudinem eorum sic
peccaverunt mihi: gloriam eorum in igno-
miniam commutabo.

8. Peccata populi mei comédent, & ad
iniquitatem eorum sublevabunt animas eo-
rum.

* *Isai.* 24.
2. 9. * Et erit sicut populus, sic sacerdos: &
visitabo super eum vias eius, & cogitatio-
nes eius reddam ei.

10. Et comédent, & non saturabuntur:
fornicati sunt, & non cessaverunt: quo-
niam Dominum dereliquerunt in non cus-
todiendo.

11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas
auferunt cor.

12. Populus meus in ligno suo interroga-
vit, & baculus eius annuntiavit ei: spiritus
enim fornicationum decepit eos, & forni-
cati sunt à Deo suo.

13. Super capita montium sacrificabant,
& super colles accendebant thymíama:
subtus quercum, & populum, & terebin-
thum, quia bona erat umbra eius: ideo
fornicabuntur filia vestra, & sponsa ve-
stra adultera erunt.

14. Non visitabo super filias vestras cum
fuerint fornicatae, & super sponfas vestras

cum adulteraverint: quoniam ipsi cum
meretricibus conversabantur, & cum effe-
minatis sacrificabant, & populus non intel-
ligens vapulabit.

15. Si fornicaris tu Israël, non delinquat
saltem Iuda: & nolite ingredi in Galgala,
& ne ascenderitis in Bethaven, neque iu-
raveritis: Vivit Dominus.

16. Quoniam sicut vacca lascivens de-
clinavit Israël: nunc pascet eos Dominus,
quasi agnum in latitudine.

17. Particeps idolórum Ephraim, dimit-
te eum.

18. Separatum est convivium eorum, for-
nicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre
ignominiam protectores eius.

19. Ligavit eum spiritus in alis suis, &
confundentur à sacrificiis suis.

CAPUT V.

Minatur Dominus se puniturum Israël prop-
ter peccata sua, similiter & Iudam:
nec proderit humanum auxilium, cum
Dominus eis adversetur.

1. **A**udite hoc sacerdotes, & attendi-
te domus Israël, & domus regis
auscultate: quia vobis iudicium est, quo-
niam laqueus facti estis speculationi, & re-
te expansum super Thabor.

2. Et victimas declinastis in profundum:
& ego eruditor omnium eorum.

3. Ego scio Ephraim, & Israël non est
absconditus à me: quia nunc fornicatus est
Ephraim, contaminatus est Israël.

4. Non dabunt cogitationes suas ut re-
vertantur ad Deum suum: quia spiritus
fornicationum in medio eorum, & Domi-
num non cognoverunt.

5. Et respondebit arrogancia Israël in fa-
cie eius: & Israël, & Ephraim ruent in
iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis.

6. In gregibus suis, & in armentis suis
vadent ad quærendum Dominum, & non
inventient: ablatus est ab eis.

7. In Dominum prævaricati sunt, quia
filios alienos genuerunt: nunc devorabit
eos mensis cum partibus suis.

8. Clangite búccinà in Gabaa, tubà in
Rama: ululate in Bethaven, post tergum
tuum Benjamin.

9. Ephraim in desolatione erit in die cor-
reptionis: in tribubus Israël ostendi fidem.

10. Facti sunt principes Iuda quasi assu-
mentes terminum: super eos effundam qua-
si aquam iram meam.

11. Ca-

11. Calumniam patiens est Ephraim, fra-
ctus iudicio: quoniam cepit abire post for-
des.

12. Et ego quasi tinea Ephraim: & quasi
putredo domui Iuda.

* *i. Mana-*
hem Rex
Israélita-
rum, de
quo 4. Reg.
15. 19.
† i. Achaz.
4. Reg. 16.
7.
13. Et vidit Ephraim * languorem suum,
& Iuda † vinculum suum: & abiit Ephraim
ad Assur, & misit ad regem Ultorem *: &
ipse non poterit sanare vos, nec solvere
poterit à vobis vinculum.

14. Quoniam ego quasi læna Ephraim,
& quasi catulus leonis domui Iuda: ego
ego capiam, & vadam: tollam, & non est
qui eruat.

* *Sive pro-*
pugnato-
rem, nem-
pè Phulum
Assyrium.
15. Vadens revertar ad locum meum:
dóneq; deficiatis, & quæretis faciem meam.

CAPUT VI.

Reversi in tribulatione ad Dominum, magnà
fiducià salutem sibi ab eo promittunt:
expostulat Dominus cum Israël & Iuda,
quòd neque beneficiis, neque prophetarum
comminationibus ab idololatria aliis-
que iniquitatibus sint revocati, cum præ-
ferat misericordiam sacrificio.

FER. 6.
IN PA-
RASCEVE.
EPIST. 1.

1. **I**n tribulatione sua manè confur-
gent ad me: Venite, & revertamur
ad Dominum:

2. quia ipse cepit, & sanabit nos: per-
cuciet, & curabit nos.

* *1. Cor.*
15. 3.

3. * Vivificabit nos post duos dies: in
die tertia suscitabit nos, & vivemus in
conspectu eius. Sciemus, sequemurque ut
cognoscamus Dominum: quasi diluculum
præparatus est egressus eius, & veniet qua-
si imber nobis temporaneus, & serotinus
terræ.

4. Quid faciam tibi Ephraim? quid fa-
ciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi
nubes matutina, & quasi ros manè pertran-
siens.

5. Propter hoc dolavi in prophetis, oc-
cidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua
quasi lux egredientur.

* *1. Reg.*
15. 22.
Eccle. 4. 17.
Matth. 9.
13. & 12.
7.

6. * Quia misericordiam volui, & non
sacrificium, & scientiam Dei plusquam ho-
locaufta.

7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt
pactum, ibi prævaricati sunt in me.

8. Galaad civitas operantium idórum,
supplantata sanguine.

9. Et quasi fauces virorum latronum,
particeps sacerdotum, in via interficien-
tium pergentes de Sichem: quia scelus ope-
rati sunt.

10. In domo Israël vidi horrendum: ibi
fornicationes Ephraim: contaminatus est
Israël.

11. Sed & Iuda pone messem tibi, cum
convertero captivitatem populi mei.

CAPUT VII.

Cum sanaturus esset Dominus Israël, obsti-
terunt iniquitates eorum: consentientes
enim regum suorum malitia, omnes hi in
idololatriam vehementer exarserunt: Do-
minoque relicto, conversi ad Ægypti
auxilium, translati sunt in Assyrios.

1. **C**um sanare vellem Israël, revelata
est iniquitas Ephraim, & malitia
Samarie, quia operati sunt mendacium: &
fur ingressus est spolians, latrunculus foris.

2. Et ne fortè dicant in cordibus suis om-
nem malitiam eorum me recordatum: nunc
circumdedarunt eos ad inventiones suas, co-
ram facie mea factæ sunt.

3. In malitia sua lætificaverunt regem: &
in mendaciis suis principes.

4. Omnes adulterantes, quasi clibanus
succensus à coquente: quievit paululum ci-
vitas à commistione fermenti, donec fer-
mentaretur totum.

5. Dies regis nostri: cœperunt principes
furerè à vino: extendit manum suam cum
illusoribus.

6. Quia applicuerunt quasi clibanum cor-
suum, cum insidiaretur eis: tota nocte dor-
mivit coquens eos, manè ipse succensus
quasi ignis flammæ.

7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus,
& devoraverunt iudices suos: omnes reges
eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis
ad me.

8. Ephraim in populis ipse commisceba-
tur: Ephraim factus est subcinericius pa-
nis, qui non revertatur.

9. Comederunt alieni robur eius, & ipse
nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse
ignoravit.

10. Et humiliabitur superbia Israël in fa-
cie eius: nec reversi sunt ad Dominum
Deum suum, & non quæsierunt eum in
omnibus his.

11. Et factus est Ephraim quasi columba
seducta non habens cor: Ægyptum invo-
cabant, ad Assyrios abierunt.

12. Et cum profecti fuerint, expandam
super eos rete meum: quasi volucrem cæli
détraham eos, cædam eos secundum audi-
tionem cœtus eorum.

13. Væ